REFUTATIO FUNDAMENTORUM DOCTRINÆ HOMŒOPATHICÆ SEU CARDINALIA...

Michele Sebastiano Griffa

19

REFUTATIO
FUNDAMENTORUM DOCTRINÆ HOMŒOPATHICÆ

SEU

CARDINALIA HOMŒOPATHIÆ DOGMATA

AD TRUTINAM REVOCATA ET EXPENSA

A CLINICES MEDICÆ TAURINENSIS ACADEMIÆ PROFESSORE

GRIFFA

PROLATA PRIMUM CORAM TERTIA SECTIONE MEDICA

CONVENTUS SCIENTIFICI LUGDUNENSIS

DIE 28 SEPTEMBRIS 1841

ET DEIN

IN CONVENTU FLORENTINO

TAURINI

EXCUDEBANT HEREDES SEB. BOTTA

MDCCCXLII.

1. Cum a clarissimis viris Dessaix et Pischier, strenuis Homoeopathiae patronis, nonnulla ad huius doctrinae veritatem propugnandam prolata fuerint coram Sectione Medica noni conventus scientifici Lugdunensis, quae fortasse sciolis fucum facere potis esse ratus eram; ipse propterea operae pretium duxi adversus iam pene nutantem homoeopathicam doctrinam momentosa quadam in eodem conventu in medium proferre argumenta ad potiora et pene dixerim cardinalia homoeopathicorum dogmata refellenda, quae typis committere ideo satius esse potissimum censui, quod nuperrime lacessitus fuerim a Rapou filio Medicinae doctore, Homoeopathiae proselyta, in libello cui titulus : *Quelques mots sur l' Homœopathie au congrès de Lyon*; cuius inconcinna verba sub initium pog. 6., meam acroasim antihomoeopathicam spectantia, parum admodum ipsi compertum fore latinum sermonem, qui tamen doctis viris familiaris esse deberet, revelare videntur; interea dum parisiensis ephemeris *Moniteur* 11 *septembre* 1841 compendiariis verbis mea argumenta accurate retulit.

2. Processurus modo ad expendenda potiora Homoeopathicorum asserta fas mihi sit, vel in ipso inquisitionis limine ab ipsis percunctari, quid sibi velit novum prorsus, et logices principiis parum consonum homoeopathiae vocabulum? nonne princeps homoeopathiae cardo hic est: *similia similibus curari*? ast axioma hoc doctrinae Homoeopathicae fundamentum ac fulcrum, a quo ethymon duxit, ad severam trutinam iuxta logices praecepta, et criticae leges revocatum protinus evincit, HAHNEMANNUM homoeopaticae doctrinae coryphaeum falso prorsus laborare principio; quis enim vel primoribus tantum labiis analogiae leges calleat, haud illico perspiciet, nisi caecutire studeat, nullam rectam illationem ducere fas esse ob actione substantiarum, et agentium quorumcumque in entia viventia secunda, ac intemerata valetudine fruentia, ad illam quam eadem corpora exerunt in ipsa morbo conflictata, statu nempe ex diametro a physiologico prorsus discrepante; quis enim, amabo, functiones actionesque sani corporis, qui totidem sunt motus ad normam compositi physiologico in statu, humorumque ipsam crasim per sanitatem, comparabit cum functionibus, humoribusque pathologico in statu constitutis? quis humorem acrem, ferme causticum a schneideriana coryza laborantis secretum comparabit cum mucoso humore ab eadem physiologico in statu manante? quis ichorem coryzae virulentae, contagiosa quandoque infectum labe, comparabit cum muco pituitariae animantis integra valetudine

fruentis; quis, sodes, sanguinem, lympham, chilum, bilem, salivam, mucum, urinam caeterosque humores cum recrementitios tum excrementitios bene valentis hominis comparabit cum sanguine, lympha, chylo, bile, urina hominis typhoidea febre conflictati; hydropicorum lympham, chylum cachectici, bilem icterici, urinam arthritici, diabetici, febre periodica laborantis, salivam hydrophobi, sanguinem scorbuticorum, chloroticarum, vaccinicum, scarlatinosum, morbillosum humorem, variolosum pus comparabit cum humoribus hominis intemerata valetudine pollentis, nonne insaniam vere saperet ad analogiam confugere memoratis in adiunctis, cum nulla prorsus analogia inter actiones physiologicas, et pathologicas, qui totidem physiologici status aberrationes sunt, recte constitui possit. Absonum propterea est consectaria ducere ab experimentis institutis circa actionem substantiarum in bene valens corpus ad illam, quam exerere valent ad morbos profligandos, ut de ipsarum viribus, atque therapeutica virtute inferre fas sit: nonne, inquam, abuti erit analogiae legibus, illationem ducere ab effectibus physiologico in statu animadversis, ad illos, quos cernere est in statu pathologico, statu nempe, toto caelo a priori distante? Ex hisce ergo iam liquido fluit homoeopathicos falso prorsus laborare principio, dum constituunt *similia similibus curari*.

3. Verum quidem est naturae legibus consonum esse principium aliud *similia similibus conservari*, quod iamdudum innuerat Hippocrates, nempe ab-

mentis, poculentis, principiis videlicet corporis viventis principiis analogis nutritionem partium perfici, iacturas reparari, similibus animalibus substantiis azoticis principiis, albumina, gelatina, fibrina redundantibus, quibus cum solidae, cum fluidae corporum viventium partes constant; ast longe abest ut haec analogia ad pathologicam corporis conditionem transferri possit, quemadmodum constituunt homœopathici, iuxta princeps ipsorum doctrinae dogma; ex quibus consequitur inductionis modum homœopathicorum cum sanis logices principiis prorsus pugnare. Præterea quis unquam, nisi vesanus alter *Tessalus*, homœopathicis assentiri poterit ad morbum quem *naturalem* vocant, curandum necessum fore, *factitium* et *artificialem* ciere ope reactionis inductae a vi remediorum microscopicis, ac vix pene percipiendis dosibus exhibitorum, *quo altero principio homœopathica fulcitur doctrina*. Ast mihi fas sit ab ipsis sciscitari un ne forsan arbitri sunt homœopathici atque penes ipsos est ad nutum, morbum quem inducere satagunt, intra aequos continere limites, neve exuberet aut deficiat homœopathica actio remediorum, talesque propterea haud ab eorum actione effectus sobolescant, ut certos haud excedant fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum? valent ne homœopathici forsan fraenum artificiali inducto morbo ita imponere, ut inducta morbosa actio ipsorum nutibus pareat, an vero hic ratiocinandi modus vesaniae alumus censendus? decernant, quaeso, cordati iudices.

4. Verum enim vero nonne rectae adversatur rationi homœopathicos omnem despicere cum medicarum pressim dictarum, tum adjutricium disciplinarum cultum, quem futilem, inanem, cassum buccinant, dum unam *specificorum* sat esse notionem ad morborum therapeiam perperam ipsi contendunt? Quid magis rationi adversatur, quam temere affirmare, anatomem, physiologiam, pathologiam, verbo hasce omnes disciplinas haud necessarias medico esse, dum corduti omnes medicinae proceres uno ore profitentur verum therapeutam cum medicarum, tum adjutricium disciplinarum egere praesidio, hosque inter, perillustris ille CHAUSSIER anatomes professor palam docebat, neminem vere medicum esse posse absque anatomes, et praesertim physiologiae suppetiis, quae viam sternunt ad abditas corporis laesiones rimandas, comparatione instituta inter physiologicum ac pathologicum organorum, quem anatomes pathologica revelat, statum? quis, quaeso, *artifex*, vel simplex *mechanicus* poterit vitiis occurrere organorum, machinarum quarumcumque, vectium, rotarum, instrumentorum miro magisterio constructorum occurrere par erit aberrationibus, quin anatomicam, dixerim, harum partium penitiorem compagem apprime noscat? nonne luce ad meridiana clarius? quis poterit complexa viventium entium emendare vitia, quin ipsorum dynamica principia calleat, quae constituunt physiologicam vitae rationem? quis inficiabitur maximos medicinae progressus tulisse post detectum verum sanguinis circuitum,

aliasque praeclaras prorsus ab anatome potissimum pathologica suffectas notiones?

5. Preterea, nonne rectae omnino rationi consentaneum est arbitrari, ad effectuum rationem assequendam satius esse, quoad humano licet ingenio, in causas inquirere ex physico illo axiomate, quod, *quilibet effectus respondeat suae causae*, uti iamdiu docuit eximius Baco de Verulamio? Nonne omnes physici ingiter adlaborarunt ad inquirendas phaenomenorum, et effectuum naturalium causas? nonne cordati omnes fatentur haud posse tolli effectum, non amota causa? quis phlogosim curabit a spina inflicta, haud ipsa avulsa? quis turbas a vermibus inductas, ipsis neutiquam expulsis vel enectis, adimet? quis acerbos dolores lenire aut sufflaminare potest ab urolithis exortos, ipsis non eductis encheiresis ope? quis venenorum actioni occurret, spreta ipsorum notione, et notis singulorum propriis? Id autem non modo de causis chemico, vel mechanico modo, sed de ipsis dynamice agentibus, est quoque statuendum?

6. Iam vero quis inficiabitur plurimam affulsisse medicinae lucem ex egregio opere de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis magni Morgagni anatomes pathologicae restauratoris, necnon a cultioribus anatomes pathologicae hac nostra aetate vestigationibus in morborum diagnosi illustranda et abditis nonnullis causis perquirendis, ac impensius rimandis? Uni homoeopatici aspernantur causarum omnem vestigationem, atque ex uno symptomatum syndrome,

mechanice dixerim, coacervata, diagnosin morborum erui posse, mordicus contendunt; interea dum omnes cordati unum symptomatum criterium seorsim suntum fallax omnino esse una pene voce profitentur, hoc autem ratiocinandi modo homœopathici non modo ipsos veram haud nosse *signorum et symptomatum* significationem, sed et prorsus necessarium ad morborum semioticam, et therapeiam, cordatis omnibus consentientibus, aetiologicum criterium despicere, ac flocci facere, luculenter produnt.

7. Ast modo ad potiora homœopathicorum dogmata expendenda propius accedentes, advertemus primum homœopathicos *specificae* medicinae titulo insignire suam medendi rationem, qua voce contendunt existere substantias, et agentia, quae cuilibet morbo, seu verius cuilibet morborum essentiali symptomati paria sint constanter occurrere, arte inducta homœopathica morbosa metamorphosi. Ast nonne rationi parum consonum esse, *specifici* nomen ex sola eius definitione elucescit; re sane vero *hydrargyrum* ipsum in syphiliticis, *cortex peruvianus* in febribus periodicis, *sulphur* in dermatosi, ceu specifica penes proceres habita, *iodium* in scrophulosis penes nuperos, possunt ne fidenter ita appellari a rationali medico, dum saepius constans observatio et experientia, princeps homœopathicorum fulcrum quam constantissime invocant, saepenumero evincunt et mercurium in syphilide, et corticem in febribus non modo incassum adhibita, sed et patenti finsse

quandoque detrimento, quemadmodum potissimum hac nostra aetate cordati plures clinici in propatulo posuere oppositis ad rem allatis momentosis animadversionibus, uti legere est penes Caloerini, Mathias etc. Enim vero si vere *specifica* homoeopathicis innotescerent, ut buccinant ipsi, cur in eodem ipso morbo dissimilis naturae prorsus remedia adhibent? Esto in exemplum truculentus morbus *Cholera indica*, cur in ipsius curatione modo ad *hypecacuanam*, ad *arsenicum*, ad *cuprum*, od *veratrum*, ad *phosphorum*, ad *canphoram* toto caelo nempe distantia pharmaca; in asphixia ad *camomillam*, *bovistam*, *solanum mammosum* confugiunt? in apoplexia *opium*, *belladonnam*, *coccullum*, alia prorsus inter se discrepantia praesidia commendant? cur in febre typhoidea ipse Peschier in sua diatriba in eodem congressu prolata modo *aconitum*, modo *rhus toxicodendrum*, modo *nucem vomicam* extollit ac plurima dissimilia in eodem morbo phormaca propinant homoeopathici, siouti patet in Jahr *enchiridio* ac nuperrima *pharmacopea* et *nosologia homœopathica*, quod et de omnibus perperam dictis illorum *specificis* colligere est. Nonne haec *symptomatica* satius dicta potius quam *specifica* therapeia parum prorsus compertam homœopathicis esse veram remediorum actionem patefacit? en ergo quomodo sibi cohæreant homœopathici!

8. Enimvero quis cordatus vehementissimae, potissimum phlegmonosae phlogosis, puta *encephalitidis*, *pleuritidis*, *pneumonitidis*, *enteritidis*, *cystitidis*

therapiam tuto solis concredi posse granulis homœopathicis, omni posthabita sanguinis detractione, unica hisce in morbis anchora, fidenter affirmabit? Quis in *haemhormesi*, seu *apoplexia pulmonali*, morbo nempe pernicissimum lethum suffocatione minitante, phlebotomiam omittendam consulet, et unis microscopicis globulis vitam aegrotantis committet? Quis fidenter ac tuto pretiosam pusionum vitam saeva prorsus *angina crupali*, *stridula*, *polyposa* dicta, laborantium, morbo nempe praecipiti adeo, ut horae momento, fluenti electriei instar, iugulare potis sit, quemadmodum contigit NAPOLEONE imperante in Gallia, homœopathicis globulis committet, posthabitis actuosis aliis a rationali medicina suffectis praesidiis, emetico videlicet, topieis erooris missionibus, caeteris? nonne medius fidius piaculum esset et pene insanientis hominis hoc in truculento pusionibus praesertim infenso morbo, perinde ac in similibus aliis uni homœopathiæ fidere? Quid sane, quaeso, proderunt bisce in rerum teterrimis adiunctis homœopathici globuli, fidenter proferatis, homœopathiae proselytae, rogo?

9. Verum ad argumentum sic dictum *crucis* progrediamur; bosce revoco homœopathicos ad veneficia: esto ad ex. veneficium ex arsenico, num forsan globuli homœopathici sat erunt ad cieurandam teterrimi huiusce veneni pernicissimam actionem, dum vix ingentes doses *tritoxidi ferri hydrati* tempestive ingestae tanto veneno retundendo vix pares habentur ex BUNSEN et ORFILA ite-

ratis tentamentis; esto veneficium ex *deutochlorureto hydrargirii*, quibus in adiunctis ex ORFILA experimentis albuminae, ex TADDEI vero glutinis magnae doses ceu ipsius antidota habentur? sat ne forsan granula homœopathica erunt ad sonticam deutochlorureti hydrargiri actionem elidendam ac retundendam? nonne absonum erit haec profari; esto veneficium ex teterrimo *acido hydro-cianico anydro*, ex *ticunas americanorum*, ex *morphina*, *voorare*, *strichnina*, *iatropa manihot*, *hydrophobico viru*, *viperea sanie*, quid proderunt hisce in rerum angustiis homœopathici globuli, ut certo proferant homœopathiæ proselytae, medius fidius, provoco.

10. Sint variae asphyxiae species ceu illae *syderatorum*, *submersorum*, *a gaz carbonico*, *hydrogenio carbonato*, *sulphurato*, *azotato*, *arsenicali*, *ammoniacali*, *gaz mephiticis latrinarum*, similibusque. An ne toto globulos propinabunt ad asphiticos hosce revocandos, atque alia potiora auxilia efficacissima flocci faciant, decernant, quaeso? Esto *apoplexia fulminea*, *epilepsia contumax*, *hydrophobia* ineluctabilis morbus, fidenter ne ad globulos confugient hisce in perniciosissimis ac pene lethiferis morbis homœopathici? adducant ad rem suam experientiam praecipuum illorum hypomochlium? rursus homœopathicos revoco ad febrium *perniciosarum comitatarum*, *larvatarum* curationem, in quibus perniciosissima occasio est, et mora horae momento ostia pulsat, ad *perniciosam* inquam *teterrimam algidam*, *typiriam*, *diaphorcticam*,

lethargicam, apoplecticam, syncopalem, emeticam, ipsam *hydronosos*, seu *ephemeram sudatoriam* dictam, quae primis paroxismis necant; exhibite sodes, globulos, homoeopathicos, si vere vobis persuasum est, tantam hosce globulos efficaciam exerere, ut ab orci faucibus aegrum eripere potis sint. Nonne idem est ac omnem rationem despicere? judicent, quaeso, medentes quibus occasio est in paludosis endemicas frequenter observandi, et curandi perniciosas lethales hasce febres. Nonne piaculum esset aegrotantium vitam microscopicis homoeopathicorum dosibus concredere? Enim vero infandum prorsus non ita pridem argumentum inanis homoeopathicae huiusce methodi obtulit MARIA LOVISIA Borbonia Lucae Ducissa, quae cum hepatitide chronica laboraret, febris typi remittentis socia, cum sub idem tempus homoeopathicus medicus NEKER in consilium fuerit accitus una cum professoribus BOMBA et MATTHEI, ac etsi iisdem reluctantibus, ad hanc febrem averruncandam granum unum sulphatis chininae in octo aquae libris epicratice intra *nicthemerum* hauriendum proposuerit, praecoci ineluctabili fato postridie eius diei Romae fuit erepta, ita referente MATTHEI in opere, cui titulus: *Manuale universale di medicina teorico-pratica*, *Viterbo* 1831. In immensum profecto excresceret sermo, si nobis mens esset ulterius circa acutos morbos, homoeopathicorum doctrinae figmenta persequi, sed de his iam satis.

11. Modo ad huiusce doctrinae expendenda asserta

circa chronicos morbos propediem progrediamur, in qua loquentem audire arridet ipsum HANNEMAN in opere *Doctrine des maladies chroniques*, *Paris* 1832 *pag.* 24: en eius verba: *Les septs huitièmes au moins des malades chroniques reconnoissent pour unique source la gale, tandis que l'autre huitième procède de la syphilis*. En quae sit HANNEMANNI circa morbos chronicos singularis pathogenia, quae deliramentum potius quam rationalem loquendi morem sapit. At fusius de hisce disserentem audiamus RAU in recenti opere cui titulus: *Organon de la médecine spécifique*: l'observation des » maladies chroniques fait supposer qu'un miasme » fut la cause, et la source de ces maladies; » les faits ont démontré que la gale est la ra- » cina de presque toutes les maladies chroniques. » Cette maladie par son origine est appellée » *psora*, nom qui indique une maladie interne » avec éruption à la peau ». Nonne cernere est hisce in verbis merum paralogismum? nonne psorae vox pruritum et scabendi dumtaxat desiderium innuit, non originis causam? nonne absonum prorsus est affirmare *psoram* morbum internum esse? nonne miasmata crasso prorsus errore perperam cum contagiis confunduntur, dum priora sunt corpora *volatilia gazoidea*, altera sunt corpora fixa; priora sponte gignuntur, non altera? nonne rationi plane adversatur affirmare tria tantum esse miasmata, a quibus chronici sobolescunt morbi, ut contendit HANNEMAN, scilicet syphilidem, *sycosim*, vel morbum ficorum, et *psoram* scabiei subtegmentum:

nonne haec loquendi ratio veram *logomachiam* redolet, et homœopathicis parum omnino comperta fore verum verborum ethymon, et Hermeneutices leges, prodit? nonne scabiei latina vox idem sibi vult penes Dermatologos ac graecum nomen *psora* a *psao*, *scabo* ductum? nonne *sycosis* psorae species est, non morbus a scabie disterminatus? cur ergo sine necessitate nomina invertunt, detorquent, et tot absurdas excogitant ad chronicorum morborum *genesim* adstruendam hypotheses, et commentitia asserta fulcienda? nonne scabies morbus est cutaneus, cuius occasionalis causa a CESTONI primum, aliisque pluribus in *scabioso acaro* collocatur, eiusque therapeia solis infensis *acharis* iatrolepticis praesidiis continetur, neque ullis internis eget remediis, nisi fuerit repressus? cur ergo contra omnem ratiocinandi modum chronicos morbos repetunt homœopathici a scabioso, ut dicunt, miasmate? forsanne chronici morbi ignoscunt insontibus hominibus qui nunquam per vitam syphilide ac scabie laborarunt?

12. Quid pluro, quid medius filius magis absonum, quam non tantum morbos chronicos *dynamicos*, sed *organicos*, necnon ipsa *aneurysmata* scabiei sobolem esse affirmare, uti videre est in citato opere: *Doctrine des malodies chroniques par* HAHNEMAN, *pag.* 24 *et* 119? Cur si ex ipsorum dogmatibus *similia similibus curantur*, scabiosum, *syphiliticum ulcerum*, *bubonum humorem*, *pus variolosum* ad scabiem, syphilidem, variolas curandas non propinant globulorum forma homœopa-

thici? Aiunt mercurium curare syphilidem, quod effectus syphilidi similes inducat; ast longe abest, ut id cum veritate consentiat, atque sat erit perlegere MATHIAS anglicum opus de morbo mercuriali, ut pateat phaenomenologiam syphiliticam ab illa hydrargiriæ longe abesse. En quot homœopathicorum figmenta ad morborum chronicorum adstruendam genesim, ac ipsorum therapeiam, quam semper simptomaticam esse debere contendunt, quod idem medico rationali sibi vult ac empirica, seu caeca experientia, quae vera inscitia est ex logices praeceptis, quemadmodum et specifica medendi ratio, quam tantopere ipsi perperam extollunt.

13. Denique coronidis ergo ineluctabile addemus argumentum ex absurda remedia ipsorum parandi ratione, seu ex homœopathica *pharmacopoea* JAHR ductum, quae sanis chemiae pharmaceuticae principiis plane adversatur; iam vero, vel solida remedia parant forma, ipsorumque partitio in *decies*, *centies*, *millenas* partes, sive *millionesimam*, *billionesimam*, quam ipsi contendunt, *attenuationem* mentis quidem abstractione, sive, ut aiunt, in abstracto concipi posse, credibile est; in concreto vero pessim, et actu perfici, opus est omni arte maius, quod matheseos peritis diiudicandum relinquimus; et re quidem vera etiam expertissimus chemicus ope apparatus JAMES MARSH arsenici actuosissimi veneni ne ullas quidem atomos in hisce millies partitis dosibus poterit reperire; hinc fig-

mentis accensenda medicinalium substantiarum hisce in granulis existentia.

14. Quod autem ad liquidam remediorum formam spectat, videlicet remedia spiritu vini soluta, et dein aqua diluta; haec *monstra* potius *pharmaceutica*, et *hybrida* appellanda, quam rite parata pharmaca; re sane vera quem chemiae gnarum fugit, hasce solutiones aquae mixtas vel resolvi illico, vel soluta solvente orbata, diaphaneitate protinus amissa, illico suspensa apparere, quod *praecipitationem* prodit, atque si levia innatare, si specifice gravia subsidere, ut prorsus activo principio destituantur: succi porro vegetabilium vini spiritui nupti, quibus *tincturas matres* parant homoeopathici, extractivis, gummosis, amylaceis, albuminosis, ac plerisque aliis activis principiis carent, quae utpote vini spiritu nentiquam solubilia, evanidas propterea, viribusque expertes exhibent hoc modo confectas *tincturas matres*. Enimvero chemiae cultor Kramer, Parisiis anno 1836, ipso Hanneman efflagitante, aptis reagentibus caustico Hanneman explorato, ne ullam quidem atomum calcis in caustico ipso reperiit, quod luculenter evincit virtute plane orbata, et *imaginaria* potius quam *realia* fore homoeopathicorum liquida pharmaca cuncta in infinitum diluta, non secus ac de solidis evictum, ac propterea sycophantas fore homoeopaticos, inferre fas esse.

15. Ex buensque ergo traditis, necnon ex aliis momentosis argumentis, quae in immensum excrescerent, si fusius doctrinae homoeopathicae dogmata ad

severam trutinam mens esset revocare, et persequi, satis evictum esse remur, medicinam homœopathicam nihil aliud vere sistere, nisi caecam experientiam, atque merum empirismum, cui apprime optautur Iusti Lipsii medici Bruxellensis sequentia carmina.

Longam artem, vitamque brevem praedixerat olim
Ille, decus medicis, et deus Hippocrates.
Longam vitam artemque brevem nunc dixerit idem
Haec si scripta legat maximus Hippocrates.

Sed laetamini demum, sodales praeclarissimi, medicinam homœopathicam fato proximam esse, nobis nuperrime dotis litteris professor Motox renuntiat ex Lutetia Parisiorum hisce laconicis verbis: *L'homœopathie est en état de marasme.* Ac propterea de homœopathicis cum Manilio vaticinamur: *nascentes moriuntur: finisque ab origine pendet.*

Coronidem demum iam luxurianti sermoni impositurus, id unum mihi reliquum est, sodales spectatissimi, ut veniam o vobis petam, quod abusus fortasse eximia patientia vestra fuerim; vobisque maximas, quas possum, rependam grates, quod comites prorsus mihi aures praebueritis.

V. ex del. D. D. Archiep.
SCIOLLA

V. B. BERTINI Medicae facultatis Praeses.

V. MALASPINA Moderator.

V. MARTINI pro M. Cancellario.